



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 155. Balthasar Cossa Martino V. adhærens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

**Sæcul. XV.** pedes Pontificis procumbere compulsa  
**A. C. 1419.** fuit, relictis ei duntaxat quibusdam op-  
 pidis, atque pagis, quos tanquam Papæ  
 Vicarius teneret; quamquam haud diu  
 ferox illius animus quiesceret. His per-  
 actis Martinus illico Bononiam ingressus,  
 cum Venetis fædus inibat.

## §. CLV.

*Balthasar Cossa Martino V. adhæ-  
 rens.*

*Platin. in  
 Mart V.  
 Onuphr. de  
 Rœm. Pon-  
 tif.*

Die decima septima Martii quatuor Car-  
 dinales Petri de Luna, qui ante ex-  
 auctorationem suam Benedictus XIII nun-  
 cupabatur, Martinum V. adibant, illum  
 velut legitimum, ac unicum agnoscentes  
 Pontificem, quos Papa admodum bene-  
 vole exceptit, ob eorum redditum ingenti  
 perfusus lætitia, quæ tamen vix non im-  
 mense creverat ex Balthasaris Cossæ, an-  
 tehac Joannis XXIII, submissione. Hic  
 jam quartum ferme annum captivus de-  
 tinebatur, tandem Florentini, quos sem-  
 per sibi addictos experiebatur, Martinum  
 supplices adibant, ut pietate motus Vi-  
 rum libertati assereret. Constat etiam  
 Balthasarem eodem tempore liberum e-  
 vasisse, sive ex pacto, quod Martinus ipse  
 met cum Comite Palatino de ejusdem li-  
 bertate inierat, cum nihil ultra ab illo ti-  
 meret, si intra Italiæ fines detineretur,

sive

sive demum ex triginta aureorum mil- Sæcul. XV.  
lium lytro, quo libertatem suam redemis- A. C. 1419.  
se, Ciaconius, aliique existimant. Cer-  
tum insuper est, quod Balthasar in Par-  
mæ finibus ad veteres Amicos suos in-  
viserit, eorumque non paucos numerave-  
rit, qui eum, si forte ad Papatum redi-  
re cuperet, consilio, opibusque juvare pol-  
licebantur; quinimo haud deerant, qui il-  
lum, ut denuo Papalia insignia assumeret,  
fortiter urgebant, sive affectu erga illum,  
sive odio adversus Neo-electum Papam  
stimulati, sive demum novitatum studio,  
aut melioris fortunæ spe animati; unde  
parum absuit, quin schismatis cicatrix  
recens obducta, iterum refricata fuisset.

## §. CLVI.

*Balthasar ante Pontificis pedes pro-  
stratus illum tanquam Papam  
veneratur.*

E quidem tam ampla Amicorum suorum  
pollicitatio, gravis, eaque periculosa  
erat ambitioso homini tentatio; cum  
enim Balthasar honorum cupiditate arde-  
ret, vel saltem passim talis ab aliis habe-  
retur, facile inde nactus quoque fuisset  
injurias hucusque perpeccas ulciscendi oc-  
casionem; præterea non sine veritatis  
specie illa omnia, quæ tam Constantiæ,  
quam in carcere egisset, nonnisi vi ac me-

tu